

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Antidota Evangelica contra horum temporum hæreses**

**Stapleton, Thomas**

**Antverpiae, 1595**

16. Et imposuit Simoni nomen Petrus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39546**

reuelata sunt , radix, principium , & fundamen-  
tum est: nec sine illa iustificari quisquam potest.  
Aut certè fide iustificamur (loquendo de per-  
fectione eius) nō qualibet, sed (ut Paulus docuit) Gal. 3.  
fide per charitatem operante. Ita utraque Caluini so-  
lution contra tam pessima Christi verba, quibus  
poenitentiam fidei ut medium fini anteponit, va-  
ria impietate & absurditate plena est. De poen-  
tentiae doctrina à Caluino depravata vide multo  
plura in Promptuarij nostri Catholici parte to Heb-  
dom. 2.  
Quadragesimali.

## IN MARCI CAP. 3.

16. *Et imposuit Simoni nomen Petrus.*

**O**SERVANT hoc loco Catholici  
(quod & nos olim fecimus) Christum  
noui nominis impositionem , quod  
antea Simoni promiserat, quum primò eum  
intueretur dicens, *Tu vocaberis Cephas*, eo demum  
tempore deditis , quo duodecim designauit Apostolos, ut eodem videlicet momento de  
Capite futuro prospiceret, quo de futuris Pasto-  
ribus prospexit: quia formari tunc cœpit quasiq;  
in utero Christi parturiti noua Christi Ecclesia.  
Obseruant quoque hoc nouum nomē illi singu-  
lariter , & soli à Christo impositum, aliquam in  
eo nouam & singularē præ cæteris prerogatiuum  
notare: sicut in mutatis à Deo nominibus Abra-  
ham, Sarai, & Israel , factū fuisse Scriptura de-  
monstrat , & diligenter explicat Chrysostomus.  
Indignè fert hoc totum Caluinus, & ait. *Ridiculi  
sunt Papistæ, qui ex hoc novo nomine colligunt fundatam.*

Petri no-  
uum no-  
men Pri-  
matus in-  
dicium.

Ff 5 in

*in eo esse Ecclesiā, ut fūsius explicabitur cap. 16. Matthæi.*  
*Atqui eodem loco iam ostendimus non minus*  
*ridiculē quām impiē manifestæ veritati in Scri-*  
*pturis reuelatæ Caluinum reluctari: vanūnque*

**1. Cor. 15.**

*ac ridiculū esse quod illic reperiens hīc affirmat,*  
*Christum pro mensura gratiæ qua Simonem instruere voles*

*bat, peculiare illi nomen imposuisse. Sanè pro mensura*

*gratiæ qua Christus suos instruxit, cui responderet*

*mēsura operis ac mercedis, Paulo potius, qui plus*

*omnibus laborauit, siue Ecclesiasticam prædicatio-*

**2. Cor. 11** *nē siue certamina & persecutio[n]es eius respicias,*

**A&G. 9.** *qui vas electionis fuit ut portaret nomen Christi in Gentilis*

*b[us], cui Christus ostendit quām multa pro nomine eius*

**Gal. 1.** *pati debuit, qui deniq[ue] non ab homine neque per hominem*

*sed ab ipso Christo de cælo vocatus Euangeliū suum*

*acepit, peculiare hoc nomē potius quām Simoni*

*Petro imponi debuit. Sanè pro maiori mensura*

*gratiæ qua instruētus erat Paulus, distinguit B.*

**Scrm. 66.** *Ambrosius Paulum clauem scientiæ, Petrum clauem po-*

*tentiæ accepisse. Quod ad viuos autem spiritualis*

*templi lapides attinet, quo in sensu Petrum à la-*

*pide nomē sumptuose Caluinus vult, propter fidei*

*videlicet feruorem, constantiam, ac virtutem, ta-*

*metsi id in Petro verū esset, quod & nomine eius*

*Simon, qui pinguedinē notat, satis importat, non*

*tamen hoc vel ad nomen Petri propriè pertinet,*

*vel aliū sensum primatus eius excludit, sed vehe-*

*menter corroborat: quando qui alijs præficiendus*

**Ioan. 21.** *erat, sicuti plus alijs diligere Christum, ita fidei om-*

*niumque virtutū vigore alijs præcellere debuit.*

*Fuit igitur viuus lapis quoad pietatē, ut esset la-*

*pis fortissimus quoad Ecclesiæ præfecturam.*

IN